



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

Vtrum licitum clericis literis secularibus erudiri, & vtrum hæreticoru[m]
libri à fidelibus legendi sunt. cap. lxxv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

ge, quando est talis iracundia, quæ alienationem mentis inducit, vt ibi Panorm. quia Deus vult voluntarium arbitrium, ca. non est. xv. q. j. cap. sicut, de regular. quia inter alia in voto deliberatio requiritur, vt dixi. & Ioannes Audo. in c. literaturam, de voto. Sed si sedato calore non fecerit, votum non obligat quo ad Deum; & vide Panorm. in c. deliberaturam. & in c. ex literis, de iure iuran. & in c. dudum, de conuersione coniugatorum.

30 † Transgressio voluntaria voti est peccatum mortale secundum omnes, vt in cap. licet, de voto. S. Thom. in q. lxxxviij. & ibi videbis de promissione facta Deo, si super additur iuramentum, in voto negatiuo, vt non bibere vinum, toties est mortale, quoties agitur contra in votum affirmatiuo, puta ieiunandi, non est mortale, nisi primario, quia agitur contra votum, nisi ratione contemptus. & in voto negatiuo non bibendi vinum, si est perpetuum, mortale est, toties, quoties.

21 † Et vtum hæres teneatur implere vota defuncti, vt in c. licet, de voto, vbi videbis doct. intellige, si hæres ad hæreditatem; sed si hæres ad hoc non se obligasset, non teneatur adimplere votum personale, votum reale sic. ibi videbis in d. c. licet.

VTRVM LICITVM SIT CLERICIS

etiam Laicis fidelibus, literis secularibus erudiri, & vtum libri hereticorum a fidelibus sint legendi.

Cap. LXV.

SVMMA R I V M.

- 1 Diuus Hieronymus ab Angelo reprehensus fuit, eo quod Clericali opera legeret, & num. 5.
- 2 Secularium scientiarum studium, quos fructus pariat, & num. 3. 4.
- 6 Omnis ratio supernæ scientiæ vel terrenæ creatura, in eo est, qui est, qui est caput earum & auctor.

- 7 Cupiens sacras scripturas intelligere, peritus esse debet.
- 8 Philosophiæ studium licitum & laudabile est.
- 9 Sacrarum literarum ignarus, inhabilis est ad beneficia capenda.
- 10 Aliqua dignitate præditis, non sufficit bona conversatio & morum honestas, nisi doctrinæ scientiæ imbuti sint.
- 11 Virum Episcopus, hereticorum libros legendi facultas data sit.
- 12 Vitium vitari non potest, nisi cognoscatur.

Refert † diuus Hieronymus ad Eustachium, quod diuino iussu fuit cæsus, & quasi non Christianus ab Angelo reprehensus, eo quod libros Ciceronis legeret. Sed in oppositum sunt multæ autoritates, quod licitum est vocare ancillas ad obsequium dominæ earum; sed omnes alie scientiæ famulantur Theologiæ sacræ, ergo licitum est studere volentibus in scientiâ Theologica, vti ancillæ suis, quæ sunt alie scientiæ humanæ. Ideo licitum est fidei libris etiam clericis studium scientiarum secularium, exemplo beati Pauli, qui aliqua philosophorum dicta & poetarum suis scripturis inseruit, vti in Epist. j. ad Corinth. cap. xv. ad ff. j. & Actu. c. xvij. Cæterum Hierony. ad Magnum oratorem vrbis Romæ scribens ostendit, quod doctores scripturæ sacræ possunt dicta sapientum hominum, & philosophorum allegare. Vnde Salomon prouerbiorum j. dicit, quod audiantur verba sapientum, & enigmata eorum. Et idem Hieronymus ad Damasum Papam inducit illud Deuteronom. c. xxj. de muliere captiua adamanda, & in uxorem ducenda, scilicet de sapientia philosophorum, vbi sic ait: Et nos hoc facere solemus, quando philosophos legimus: quando in manus nostras veniunt libri sapientiæ secularis, si quid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus. † Itaque studium scientiarum secularium est multipliciter vtile ad exercitationem ingeniorum, vti per beatum Augustinum de doctrina Christiana; vbi dicit, quod per huiusmodi humanarum scientiarum studia acutiora, & subtiliora redduntur ingenia: propter quod

dicit Beda super libros Regum; turbat acumen ingenio-
 rum legentium, & deficere eos cogit, qui eos à legendis se-
 cularibus libris omnino existimat prohibendos. Ideo no-
 tabis. quod scientijs secularibus potest se iuuare Theolo-
 gus, maxime in tribus sibi necessarijs valde, in signis intel-
 ligendis, in ambiguitatib; dissoluendis, & in rebus & earu-
 proprietatibus, scilicet cognoscendis. In signis intelligen-
 dis iuuatur homo per grammaticam, quæ prima artium li-
 beralium. ad hoc enim quod sit in signis integritas, oportet
 nos vitare solecismum, & barbarismum. Vtuntur etiam
 doctores sacre scripturæ topicis locutionibus, & ita patet
 utilitas: immo necessitas artis grammaticæ ad hos topi-
 3 intelligendos. † Necessitas siue utilitas artis logicæ, cui
 patet, sunt enim in scriptura sacra multæ ambiguitates, &
 difficiles quæstiones, ad quas intelligendas, & dissoluen-
 das necessaria est nobis logica. vnde Augusti. ij. de doctri-
 na Christiana dicit; disputationis disciplina. i. logica, ad
 omnia genera quæstionum (quæ in literis sunt penetran-
 da, & dissimulanda) plurimum valet. Hoc etiam modo
 patet de Theorica; quoniam venustas sermonis, quæ ha-
 betur per artem Rhetoricæ multum est utilis, eo quod
 secundum Tullium multos mouet venustas eloquij, quod
 sine ea non moueret qualitas facti. Item patet de utilitate
 arithmeticæ; nam scriptura sancta multum loquitur
 de numeris, quorum imperitia, vt dicit Augustinus,
 multa facit obscura, quæ sunt non proprie, sed transum-
 4 ptive, & mystice posita. † Vtilis est etiam musica, dicens
 te Augnstino libro de ordine: Ad istarum, inquit, rerum
 cognitionem neminem arbitror debere aspirare sine illa
 duplici scientiæ bono, scilicet disputationis, scilicet lo-
 gicæ; & numerorum, scilicet musicæ; quia de musicis
 loquitur, scilicet Cythara, tympano, & choro, & hui-
 iusmodi; ad quorum cognitionem utilis est musica. Vti-
 lis est etiam astrologia, cum sacra scriptura interdum
 loquatur de sole, luna, & stellis, quorum cognitio
 spectat ad astrologiam. Vtilis est etiam geometria; lo-
 quitur enim scriptura sancta de altitudine cæli, & alti-
 tudine terræ, & huiusmodi; ad quæ cognoscenda utilis,

& necessaria est scientia geometriæ. Patet ergo, quod
 & vniuersaliter omnes artes liberales, & disciplinæ valent
 ad pleniorē intelligentiam, & notitiā diuinarum scri-
 pturarum; & per consequens licitum est, immo peruti-
 le in illis studere; dummodo in eis quis discretē studeat,
 & recte, id est, bona intentione: ideo vsus prædictarum
 scientiarum non vituperatur, sed abusus, qui est multi-
 plex. primo videlicet, cum quis turpibus scriptis amato-
 rijs, & huiusmodi inficitur: hoc enim reprehendit
 Hieronymus super epistolam ad Ephesios. transumpti-
 uum capitulum legimus. trigesima septima distinctio. vbi li-
 tera dicit; Heli sacerdos ipse sanctus fuit, sed quia filios
 suos non erudiuit in omni disciplina, & correctione,
 lupinus cecidit, & mortuus est. Propter hoc etiam re-
 fert beatus Hieronymus se diuino iudicio flagellatum,
 quia ita se scientijs secularibus dedicauerat, quod cum
 interdum prophetas assumeret, sermo horreret incultus,
 ut in capitulo legimus, trigesima septima, distinctio. vbi li-
 tera dicit. † legimus de beato Hieronymo, quod cum
 libros legeret Ciceronis ab angelo est correptus, eo
 quod vir Christianus paganorum figmentis intende-
 ret. Sed notabis, quod Moyles, & Daniel omni sci-
 entia Aegyptiorum, & Chaldæorum eruditi fuerunt.
 & legitur etiam, quod præcepit Dominus filiis Israel, vt
 spoliaret Aegyptios auro, & argento, moraliter instruens
 vt huc aurū sapiētiae suæ argentum eloquētiæ apud poetas
 inueniremus, in vsum salutiferæ eruditionis vertamus.
 In Leuitico etiam primitias mellis, id est, dulcedinem
 humanæ eloquētiæ domino iubemur offerre. De-
 inde in expositione Psalterij Cassiodorus testatur:
 Omnis splendor rhetoricæ eloquētiæ, omnis modus
 poetice locutionis, quælibet varietas decore pronun-
 tiationis à diuinis scripturis sumpsit exordium. Hinc
 etiam Ambrosius ait super epistolam Colossensium.
 Omnis ratio supernæ scientiæ, vel terrenæ creaturæ in
 eo est, qui est caput earum, & auctor; vt qui hunc no-
 men, nihil ultra quærat; quia hic est perfecta virtus, &
 scientia: quicquid alibi quæritur, hic perfecte inueni-
 tur.

tur. In Daniele, & in Salomone ostendit in fidelibus se esse auctorem totius eloquentiæ & sapientiæ, quod infideles non putant; quia non legunt in euangelij, & prophetis astrologiam, & alia huiusmodi, quæ despecta sunt, quia nil valēt ad salutem, sed mittunt in errorem, vt in dicto ca. legimus, trigesima septima dist. Turbat itaque acumen legentium, qui eos a legendis secularibus libris omnibus modis existimat prohibendos, in quibus si qua inuenta sunt vtilia, quasi sua sumere licet; alioquin Moyses, & Daniel sapientia, & literis Aegyptiorum, Chaldeorumque non paterentur erudiri. Cur ergo legi prohibetur, quæ tam rationabiliter legendo probantur? Sed seculares literas quidam legunt ad voluptatem, poetarum figmentis, & verborum ornatu delectati, quidam vero ad eruditionem eas addiscunt, vt errores gentilium legendo derestentur; & vtilia, quæ in eis inueniunt, ad vsum sacrae eruditionis deuoti vertant. Tales laudabiliter seculares literas addiscunt: vnde beatus Gregorius quendam Episcopum non reprehendit, quia eas edisceret, sed quia contra Episcopale officium pro lectione euangelica grammaticam populo exponebat, vt in c. turbat. xxxvij. distinctio. hinc etiam Ambrosius scribit super Lucam: legimus aliqua, ne negligantur; legimus, ne ignoremus; legimus, non vt teneamus, sed vt repudiemus. cap. legimus. xxxvij. dist. item Hieronymus super Epistolam ad Titum, transumptiue in cap. si quis. xxxvij. distinctio. Si quis artem nouerit grammaticam, vel dialecticam, vel recte loquendi rationem habet, & inter falsa, & vera diiudicet, non reprehendimus. Item legitur in synodo Eugenij Papæ, transumptiue in capit. de quibusdam xxxvij. distinctio. Ab vniuersis Episcopis subiectis plebibus, & alijs locis, in quibus necessitas occurrerit, & omnino cura, & diligentia habeatur, & magistri, & doctores constituentur, qui studia literarum liberaliumque artium dogmata assidue doceant. Item beatus Hieronymus, & transumptiue in c. qui de mense. xxxvij. distinctio. Si quando cogimur literarum secularium recordari, & aliqua ex his discere, quæ olim omisimus, non nostra est voluntas; sed (vt ita dicam) grauissima necessitas.

statu, vt probemus ea, quæ à sanctis prophetis ante secula multa prædicta sunt, tam Græcorum, quam Latinorum, & aliorum gentilium literis contineri. Item Clemens Papa in cap. relatum. xxxvij. distinct. dicit; ¶ Ad intelligentiam sacrarum scripturarum, secularium peritia necessaria est. Itaque ex præmissis auctoritatibus apparet; quod imperitia sacerdotibus semper debet esse aduersa; quoniam si per ignorantiam cæcitatibus alijs ducatum præstare ceperint,ambo in foueam cadunt. vnde dicitur in psalmo; obsecurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua: cum enim obscurantur illi, qui præeunt ad ferenda onera peccatorum, facile sequentes inclinantur. Elaborandum est itaque sacerdotibus, vt ignorantiam à se quasi quandam pestem abijciant: ait enim Apostolus; qui ignorat, ignorabitur: quod de eo intelligendum est, qui noluit intelligere, vt bene ageret. vnde August. in libro quaestionum ait; Non omnis, qui ignorat, immunis est à pœna; ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui, quod disceret, non inuenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt. Cum itaque voluntaria ignorantia omnibus sit noxia, sacerdotibus est periculosa. vnde in concilio Toletano legitur, & transumptum in c. ignorantia. xxxviij. dist. Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. & de scientia sanctissimorum Episcoporum, & aliorum sacerdotum diximus in ca. vij. supra in isto Speculo, vbi multa villia inuenies. Et pro complemento dicemus, quod non reprehenduntur absolute studentes in scientijs secularibus, sed qui student sub abusus iam dictis; ¶ quia studium philosophiæ per selicitum est, & laudabile propter veritatem, quam philosophi perceperunt, Deo optimo maximo illis reuelante, vt per Apost. ad Rom. c. j. Sed quidam philosophi abutuntur eo ad fidei impugnationem, adeo Apost. ne quis plus credens philosophiæ, quam fidei, quæ transcendit humanam rationem, & omnem naturæ potestatem, decipiatur, dicit: Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem

nem hominum, quia scientiæ vanitatis non dicuntur scientiæ secundum se, sed secundum abusum, quo aliqui abutuntur eis. Ideo beatus Hieronymus non fuit punius, quia studebat simpliciter in scientiis, sed quia tanto studio, & tanta delectatione studio illo abutebatur, ut scripturæ sacræ sermo horreret ei tanquam incultus. Ideo Isidorus in libro sententiarum, & transumptiue in cap. ideo. xxxij. dist. dicit; Ideo prohibetur Christianis legere figurata poetarum, quia per oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incentiua libidinum. Non enim tunc solum offerendo demonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius capiēdo: ideo, ut dixi, multum interest nostris, ut sacerdotes sint literati, & docti, ut dixi; sed illiterati penitus, qui omnino nescit literas, non est ordinandus ad clericum. Conclusio patet leuiti. xxj. vbi cæcus a sacerdotio repellitur. Et in libro secundo Reg. c. v. habetur, quod cæcus claudus non intrabunt in templum. Et carens literis sacerdos non est aptus in templum, ut in cap. illiteratos. xxxvj. dist. vbi litera dicit; Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere; † quia literis carens sacerdos non potest esse aptus officijs. Sed illiteratus parum sciens potest ad ecclesiam promoueri minoris, si sit spes, quod possit proficere non autem ad maiores, ita Archidiaconus in dict. c. illiteratos. Sed illiteratus parum sciens, de quo non est spes, quod possit proficere, non est promouendus etiam ad minores ordines: & de hoc vide Innocent. & doctor in cap. cum in curia electis, de electio. Sed illiteratus, qui omnino caret literis, ordinetur, characterem recipit, peccat tamen, quia agnoscit contra præceptum ecclesiæ; & ad summum sacerdotium non aspiret, quia diuinis disciplinis non est eruditus. Hinc etiam David prius ex gratia spiritus sancti donum scientiæ percepit, & postea administrationem regni assuevit. Salomon quoque non diuitias, non longa tempora huius vitæ, sed sapientiam à Deo impetrauit. Hinc etiam Dominus posuit verba sua in ore prophetarum, & postea constituit eum super gentes, & regna, dicens ad Hieremiam; Ecce dedi verba mea in ore tuo, Ecce constitui te super gentes,

gentes, & regna. Hinc etiam Dominus prius Apostolos docuit, deinde eos ad prædicandum misit, dicens: Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbe. sic etiam post resurrectionem prius illis sensum aperuit, & scripturas explanauit, & postea dixit eis, Euntes in mundum vniuersum docete omnes gentes, & cætera. *Matth. ultimo.* Hinc etiam Petrus cum rectoribus ecclesiæ scriberet, ait; Parati esse debetis reddere rationem omni poscenti vos satisfactionem de ea fide, & spe, quæ in vobis est. Hinc etiam Paulus scribens ad Thimo. ait; Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Vide supra in isto speculo. *cap. vij. de scientia sacerdotij multa vtilia.* Ex quibus omnibus liquido colligitur, quod non sufficit prælatis bona conuersatio, & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ. Hinc etiam Hieronym. in *Leuitico*, transumptiue in *capit. si quis, trigesima sexta, distinct.* Sacerdotis est legis scientiam habere, non bellis, sed orationibus vacare; quia si in laicis videtur intollerabilis inscitia, quanto magis in his, qui præsent. Quæ sint necessaria sacerdotibus ad discendum, notantur in *capit. quæ ipsi, xxxviii, distinct.* & quæ oporteat scire eum, qui Episcopus est ordinandus, vide textum in *cap. omnes, xxviii, distinct.* & in *c. placuit, eadem distinct.* & ibi in *c. fin. dicitur;* Nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis à paruulis, vel minimis eruditus, si quid forte est utilitatis, aut salutis, inquirere negligat. de alijs, vt dixi, videbis docto. in *v. cum in cunctis. de electio. & videbis. c. vij. supra in isto speculo, vbi omnia inuenies.* Nunc ad aliam partem capituli veniamus. † An Episcopi possint legere libros hæreticorum? textus in *c. Episcopi, xxxvii, dist. dicit;* Episcopi legere possunt libros hæreticorum, cum necessitas, aut tempus requirit, vt illis lectis sciât ab illis cauere, aut illos reprobare, & impugnare. ideo ait *tex. pro necessitate, aut tempore: pro necessitate quidē, cum hæresis aliqua venit impugnanda; quod nequaquam bene fieri potest, nisi ipsi libri hæreticorum legantur, & examinentur, vbi errant, & vbi impugnandi veniunt.* † *Vi-* ¹² *tium enim vitari non potest, nisi cognitum; nisi enim*

Augusti. & Isidorus legissent hæreticorum dicta, non extassent nos, eorum errores cauere: nec ipsi, & alij sancti scripserint cōtra hæreticos, nisi eorum dicta perlegissent. Et si dicatur, libri hæreticorum præcipiuntur comburi, quicumque. C. de hæreti. respondemus, quod lex illa loquitur de libris hæreticorum, qui manifestam continent falsitatem, vel quando iam sunt damnati; Et nisi furor Pontifex aliquid in oppositum decreuerit, sicut factum est diebus nostris fauiente Lutherana peste.

DE CLERICIS ET SACERDOTIBVS, ET
Presbyteris, & præstantia eorum, & de excellentia sacerdotij, & de scientia, & ignorantia sacerdotij, & de decimis, & oblationibus, & an residentia clericorum sit de iure diuino, & loquor de residentia personali.
CAP. LXVI.

S V M M A R I V M.

- 1 Clericus vnde dictus, & originem habuerit: Item qui proprii clerici appellantur.
- 2 Episcoporum electio vnde habuerit originem.
- 3 Decimæ omnes Domini sunt, & illi sanctificantur.
- 4 Ex præcepto tam veteris quam noui testamenti decimæ dantur sunt enim de iure diuino, & nu. 6. 14. & 18.
- 5 Sacerdotes quia de causa familiares Deo dicantur.
- 7 Residentia sitne de iure diuino, remissive, & nu. 19.
- 8 Missa à quocunque dicatur, dummodo sacerdos sit, seruata ecclesiæ forma, æqualiter bona est.
- 9 Quos odit Deus, non sunt apud Deum idonei intercessores.
- 10 Orationes à malis sacerdotibus sine prelati factæ, cuiusmodi sunt damnum afferant, & nu. 11.
- 12 Decimarum prima origo vnde principium habuerit.
- 13 Post Christum Dominum, sacerdotalis ordo vnde habuerit originem.